

www.e-rara.ch

Specimen subitaneum anatomico-medicum de vena portarum

Stupanus, Johann Rudolf

Basileae, [1752?]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: Diss 55:26

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-73035>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SPECIMEN SUBITANEUM
 ANATOMICO - MEDICUM
 DE
VENA PORTARUM,
 QUOD
 UNA CUM ADNEXIS COROLLARIIS BOTANICIS
 ADJUVANTE DIVINA GRATIA
JUSSU AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI
 PRO VACANTE CATHEDRA
ANATOMICO-BOTANICA

Ad Diem 8. Decembris MDCCLII.

L. H. Q. S.

PUBLICO CLARISSIMOR. COMPETITORUM
 EXAMINI SUBMITTIT

JOH. RUD. STUPANUS,
 Phil. & Med. Doct.

RESPONDENTE

JUVENE FLORENTISSIMO

JOH. LUDOVICO BUXTORFIO,
 Archiatr. Fil.

BASILEÆ,
 Typis, JOH. HENRICI DECKERI, Academiae Typogr.



Catalog

ANATOMICO - MEDICUM
DE
VIENNA PORTARUM
UNA COM ADIEXIS CONCOLIARIIS BOTANICIS
ADJUVANTE DIVINA GRATIA
SUAU AMPLISSIMA SENATUS ACADEMIAE
PRO VACANTE CATHEDRA
ANATOMICO - BOTANICA

Ad Diem 3. Decembris MDCCIII.
A. M. G. &
PUBLICO CLARISSIMO COMPETITORUM
EXAMINE
JOH. RUD. STUPANUS
Phil. & Med. Doct.
RESPONDENTE
JESUIT FLORENTINO
JOH. LUDOVICO BUXTORFIO
Apothec. Tit.

BASILEAE,
Typis Joh. Henrici Thomae, Academicae Typogr.





§. I.

Non defuerunt olim inter Medicos, qui defunctorum corpora incidere, Medico necessarium non esse, sibi persuadebant, etsi enim crudele non sit, foedum tamen esse, insuperque colorem, lavorem, mollitiem, duritiem, similiaque omnia, non esse talia inciso corpore, qualia integro fuerint; idcirco Anatomicen, quam antiquissimi Medici cum diligentia excolere, atque stabilire cœperunt, prorsus neglectui dabant, contententes, neque hujus, neque alius causæ notitiam quicquam ad curationem pertinere, satisque esse quædam communia morborum intueri, & quidem horum tria esse genera, unum adstrictum, alterum fluens, tertium mixtum, horum observationem, Medicinam esse, uti fusius legere est apud Celsum Lib. I. in Præfat.

Non defunt alii, qui studium quidem Anatomies tractant, sed in demonstrandis partibus C. H. subtilia nimium sectantur, quæ in theoria, & praxi medica nullum ferè, vel minimum saltem usum habere observantur; videndum tamen, ne, quæ est humani ingenii proclivitas,

tas, in contrarium delapsi, corporis humani notitiam fupremis tantum, ut ajunt, labiis hausisse, Medico jam fufficere, ratum certumque habeamus, neminem enim facile Medici munere cum laude defungi, five, quod idem est, hominis fanitatem præsentem diu illibatam tueri, morbosve imminentes, aut jam natos probè cognoscere, & per congrua auxilia iterum depellere posse, qui C. H. singularumque ejus partium, situm, nexum, structuram, actionem & usum non accuratius perspexerit, amplius dubium non est, quodque ipsum, argumentum præsentis speciminis, ex angiologia, five doctrina de vasis sanguiferis desumptum, haud obscurè, ut opinor, comprobare poterit, quantum utilitatis arti medicæ, tam quoad theoriam, quam quoad solidiorem praxin instituendam, ex anatomia accedat.

§. II.

Reperiuntur in corpore nostro triplicis præsertim generis vasa sanguifera, quæ sanguinem à partibus ad cor revehunt, vena pulmonalis, cava, atque vena portarum, eademque est, quam impræsentiarum breviter describere, ideo mihi proposui, quia attenda hujus consideratio Medicum docet, pluribus morbis, sæpius in praxi obviis, melius cognoscendis, & feliciter curandis, qui haud raro aliis longe causis tribui solent.

§. III.

Est igitur vena portarum, vas sanguiferum, venosum imi ventris, magnum & capax, binis suis extremitatibus innumeros in ramulos divisum, interjecto circa medium ferè trunco, sanguini à secretionem, & nutritionem plerorumque abdominis viscerum residuo, excipiendo, & hepatis infundendo inserviens.

§. IV.

Plures Anatomicorum eandem non malè arbori comparant, cujus radices, venæ extra hepar, per plurima viscera

cera disperſæ , truncus autem & rami in hepate : Alii cum Winslovio eandem confiderant , tanquam ex duabus majoribus compoſitam , quarum trunci reſpondeant , & invicem conjungantur , ſingulis tamen ſuos ramos , & ex his minores , & minimos alios diverſâ ab invicem directione dimittentibus , unum ex hiſce truncis per ſolum hepar diſtributum , vocant venam portar. hepaticam , ſuperiorem , minorem , alter vero extra hepar , per varia abdominis viſcera decurrens , dicitur vena portarum ventralis , inferior , major.

§. V.

Vena portar. inferior ſanguinem , per arteriam cœliacam , atque utramque meſentericam , ventriculo , lieni , pancreati , omento , meſenterio , atque inteſtinis allatum , vaſis ſuis capillaribus recipit , & prout vaſa illa minima hepatis magis appropinquant , in unum paſſim coeunt , ſociatiſque ductibus vaſa ſemper majora , magisque conſpicua producant , & quamprimum hæ venæ majores factæ , nomina fortiuntur , deſumpta vel à partibus , unde originem ducunt , vel ad quas tendunt ; venarum , quæ ſanguinem à ventriculo revehunt , & gaſtricæ vocantur , plerumque numerantur quinque , gaſtrica , ſive coronaria ſiniſtra major , gaſtro-epiploicæ , dextra & ſiniſtra , pylorica ſive coronaria dextra minor , & vaſa brevia , ventriculum inter & lienem ſita , ex quibus gaſtrica major , gaſtro-epiploica ſiniſtra , & vaſa brevia in ramum ſplenicum , gaſtro-epiploica dextra vero , quæ plerumque cum duodena communem truncum habet , in ramum meſentericum , nonnunquam tamen , uti pylorica , cui sæpè continua fit gaſtrica major , in ipſum truncum venæ portar. terminantur : Ex liene reſluit ſanguis per venam ſplenicam dictam , quæ toti ramo ſiniſtro nomen impertit , licet plures aliæ adhuc venæ , partim ex ventriculo , modo recenſitæ , partim ex omento , & pancreate eidem accedant.

§. VI.

Vena mesenterica major, quæ ut plurimum vera continuatio est trunci venæ portar. formatur ex plurimis furculis, qui a maximâ intestinorum parte, jejuno, ileo, coeco, & coli parte dextra originem ducunt, inde cum ramulis arteriæ comparis inter utramque mesocoli, & mesenterii membranam progrediuntur, pluresque arcus formant, ex quibus ramuli prodeunt, qui capacitate sensim augentur, quos Anatomici nominibus distinguunt, quorum præcipui sunt, vena colica, gastrocolica, colica dextra, & vena coecalis, vel Ileocolica, quæ partim mutua anastomosi inter se, partim cum vicinis venis, imprimis cum gastro-epiploica dextra, & hæmorrhoidali concurrunt.

§. VII.

Hiscæ tertiam addunt Winslovius, aliique, venam mesentericam minorem, sive hæmorrhoidalem internam, quæ ultimum intestinum rectum, tenuibus radicibus in orbem amplectitur, ubi hypogastricis non una anastomosi jungitur, dum ascendit juxta longitudinem recti, & ad sinistram coli, ad latus arteriæ comparis, plures sensim accipit ramulos ex mesocolo, inde ulterius progressa, augetur ramo, qui ex superna parte arcus coli descendit, & cum ramulis mesentericæ majoris, gastro-epiploicæ sinistræ, & epiploicæ vicinæ communicat; ante ingressum vero in truncum venæ portar. accedit vena ex fine duodeni, quæ dicitur duodena secunda; inferitur demum vena hæmorrhoidalis varie, quandoque quod sæpius fit, aut in splenicam, non longè ab origine desinit, aut in mesentericam majorem, sed rarius, aut denique in angulum, quem truncus cum splenica facit, terminatur; omnes istæ venæ unitæ constituunt venam dictam portar. antequam tamen hepar ingreditur, plures obtinet ramulos, venas scil. cysticas, hepaticam parvam, duodenam primam, superiorem, atque pyloricam, singulæ autem in diversis corporibus admodum variant, ita quidem;

ut

ut vel una harum in alteram , vel plures in alterutrum rammum primarium terminari videantur.

§. VIII.

Vena igitur portar. quæ ex pluribus hactenus enumeratis , & in unum communem tubum coëuntibus vasis componitur, ad aliquot pollicum distantiam ab ortu antrum ascendendo, concavam hepatis partem subit, tanquam mediam vallem, inter binas eminentias, quas veteres portas vocarunt, unde etiam venæ nomen, statimque ad ingressum in hepar, una cum magnis hepaticis vasis, arteriis, ductibus biliariis, & nervis vaginam induit, quæ ab inventore dicitur capsula Glissonii, longitudinis dein semipollicaris spatium emensa, duobus insignibus terminatur ramis, dextrorsum & sinistrorsum, qui ob transversum decursum, finis nomine vulgò veniunt, indeque in quinque ramos minores, & ulterius in minimos & innumerabiles alios, totum hepar peragantes, dividuntur, qui omnes sanguinem in ramulos venæ cavæ hepaticos transferunt, indeque in venam cavam, ipsumque cor impellunt.

§. IX.

Ex data utcunque delineatione venæ portar. videmus sanguinem ex plerisque imi ventris visceribus non per arteriam, uti in reliquis C. H. partibus contingit, ad hepar deferri, sed per venam, jam vero ex physiologicis discimus, sanguinem in genere tardius progredi per venas, quam per arterias, & tardiolem adhuc cursum absolvere in hepate, & extra illud, docet vasorum structura, & sanguinis per eadem trajiciendi indoles, quod vasa attinet, valvulis carent, quæ aliàs in toto ferè venarum systemate reperiuntur, ubi sanguis perpendiculariter ascendere debet, sanguis insuper, post tot perpetratas secretiones in glandulis intestinalibus, atque pancreate, spissitudinem nactus difficiliter per vasa progreditur. quibus accedit angustia vasor. in ipso hepate obvia, quæ sanguini ex ampliori canale in convergentem propulso, multum resistit; Physiologi quidem, & inter hos Hoffmannius atque Boerhavius

havius allegant causas, quæ resistantias, sanguini in hepate natas, superare valeant, quar. primariæ sunt, major tunicarum crassities in venis hepaticis, & vis contractilis capsulæ Glissonii, neutram tamen facillè admittere possumus, verosimile potius est, soli ferè respirationi idem esse tribuendum, nec non ictibus validis, tum trunci arteriæ coeliacæ dextri, qui trans venam portarum assurgit, tum etiam ramulorum arteriæ hepaticæ, qui ramos venæ portarum ubique comitantur.

§. X.

Hactenus de venâ portarum, prouti in statu naturali se habet, breviter adhuc considerabimus statum ejusdem præternaturalem, quatenus scil. multis, magnisque morbis ansam præbere potest, quorum pro angustia pagellarum brevem, & generalem tantum historiam dare, animus est; quæcunque igitur causa sit, sanguinis cursum per venam portarum difficiliorem reddens, vel plane impediens, sanguis eo fluens, ulterius liberè progredi nequit, ibi ergo accumulabitur, sed interea perpetuo novus à tergo, à corde per arterias advehitur, quantitas, quæ priori succedit, resistit hæc motui posterioris progredienti, unde fit, ut refluat unde venit, imprimis cum nullæ adsint valvulæ, quæ refluxui obicem ponant, cursum autem sanguinis vel in hepate, vel extra illud difficiliorem reddere possunt plurimæ causæ, ex primariis sunt plethora, indeque nata spissitudo.

§. XI.

Quod si itaque vasa ventriculi nimium repleantur, sive hoc fiat à sanguine, ex distitis partibus huc congesto, sive ab aliis ipsi ibidem moram neccentibus causis dependeat, plures oriuntur molestiæ, & circa ventriculum, partesque alias, cum quibus idem consentit, ex gravioribus sunt anxietates, tensiones, pressiones, dolores cardialgici, nausea, vomitus, cum rejectione mucii tenacis, quandoque striis sanguineis intermixtis, quandoque feri limpidi, quod imprimis tempore matutino contingit, à nimia quoque

que dilatatione eadem vasa, præsertim quæ brevia dicuntur, faciliè rumpuntur, & sanguinem, qui vomitu rejicitur, in cavum ventriculi fundunt.

§. XII.

Si circa hepar magis congestio fiat, hujus infarctus, dextrique hypochondrii expansio oritur; si circa lienem, in sinistro potius hypochondrio creantur molestiæ, haud raro etiam ad utrumque latus dolores tensivi oriuntur, si ex intestinis colon præ reliquis afficiatur, si sanguinis cursus per reliqua intestina, præsertim tenuia, atque mesenterium non ritè succedit, dolorificæ fiunt vasorum, inter membranas admodum sensibiles, decurrentium distensiones, spasmi, tormina, & ex nimia dilatatione haud raro sequitur perniciofa, & graveolens *ἀνω* & *κάτω* sanguinis rejectio.

§. XIII.

Si denique vasa hæmorrhoidalia interna sanguine nimium repleantur, quod ob situm eorundem perpendicularem, & majorem sanguinis spissitudinem faciliè fieri potest, circa intestinum rectum, & loca vicina sentiuntur dolores lancinantes, pressorii, spasmi, tenesmus, quandoque etiam vasorum extrema ibidem, a congesto sanguine nimis diducta, referantur, qui fluxus Medicis audit hæmorrhoidalis, & distinguitur in salutarem, qui ex sola sanguinis copia, & ad eam tollendam contingit, & in minus salutarem, qui ex constitutione viscerum abdominis præternaturali originem trahit, quæ excretio sanguinis, licet quandoque levamen afferre videatur, plerumque tamen cum detrimento fit, præsertim si modum excedat.

COROLLARIA BOTANICA.

I.

CEleb. Linnæus in præfat. generum plantarum, in describendis singulis partibus fructificationis, numerum, figuram, situm, & proportionem, certas & reales notas esse contendit, hæc tamen in plurimis æque vagæ, & lubricæ esse observantur, ut sapor, odor, color, & magnitudo, quod

autop-

autopfia fatis superque nos docet, sic verbigr. in pruno calycem describit monophyllum, semiquinquefidum, & petala quinque, licuit tamen sæpius eundem videre sexfidum, septemfidum, cum petalis 6. 7. &c. sic in lychnide numerat stamina 10. occurrunt tamen sæpè pauciora, & 5. tantum.

II.

Idem classẽ 12. vocat icofandriam, eo quod stamina in hac classe circa 20. numerum circiter consistant, in maxima generum parte, numerus autem staminum quandoque longè major est, & à 30. ad 38. & 40. ascendit, uti in persica, ceraso &c. observavimus.

III.

Idem in system. naturæ affirmat, plantas, quæ classe naturali, adhuc magis ordine n. sed maximè genere n. conveniant, etiam viribus propius accedere, ita triandrias, digynias, seu gramina, folia armentis & jumentis læta pascua, femina minora, avibus, majora hominibus vulgatissima esse esculenta, & Hermannus in proëm. cynos. quæ eandem habent notam essentialẽ, ejusd. facultatis quoque esse contendit; non desunt tamen plantæ hujus generis, quæ viribus neutiquam conveniunt, imo perniciosum planè effectum edere possunt, cum in hominibus, tum animalibus, ejusmodi sunt gramen loliaceum spicâ longiore, & secale luxurians C. B. quor. grana cum pane, vel pulte comesta, gravissima suscitant symptomata, illud quidem cephalalgiam, vertiginem, soporem, temulentiam &c. hoc vero gravissimas generis nervosi convulsiones, dolores &c.

IV.

Et si rem accuratius perpendamus, non tantum ejusdem generis plantæ viribus differunt, sed etiam unius ejusdemque diversæ partes, nonnunquam diversis quoque operandi viribus pollent, sic verbigr. folia sennæ laxant, stipites vero & folliculi tormina cient, & inflant, sic pruni sylv. flores itidem laxant, fructus v. adstringunt, sic sambuci turiones *ανω* & *κατω* purgant, flores vero & femina, ex quibus conficitur rob, resolvendo & discutiendo, simulque diaphoresin & urinam leniter promovendo inserviunt.

TANTUM.